

damit die Wildfuhren nicht verderbet werden (y). Firmum igitur immotumque manet, forestationem sylvarum olim à folius Regis & Imperatoris dependisse arbitrio. Quo etiam trahenda ex capitularibus Francorum (z) verba : *Quicumque illas (forestes) habet dimittat, nisi forte indicio veraci ostendere possit, quod per jussionem, sive per permissionem, Domini Karoli, Genitoris nostri eas instituisse, præter illas, quæ ad nostrum opus pertinent, unde nos decernere volumus, quicquid nobis placuerit &c.* Atque eo ipso simul confirmatur, nullum jus prædiorum fuisse venationem. Considerentur adhuc tot traditiones & donationes piæ privatorum, medio ævo celebratæ, quibus MIRÆI opera Diplomatica & SCHANNATI Traditiones Fuldenses scatent. Nonne innumeræ earundem continent sylvas absque venationibus? Quid vero aliud inde colligendum, quam quod eo tempore jus venandi non prædiorum sed potestatis regalis fuerit annexum? Et vel solum bannum regium respiciamus; idem per quemcunque Comitatum sive pagum extendere ab Imperatoris dependebat arbitrio, teste Diplomate OTTONIS III, (a) verbis : *imo quandam pagum Saltzgovvi dictam - - in quocunque Comitatu sive pago sita sint, sive in pago Grapheldum seu Comitatu Ottonis sive in quibuscunque provincialibus pagis, cum omnibus pertinentiis - - sylvis forestatis, venationibus, bannis &c.*

B 2

&c.

(y) Wehner Obs. voce Forstrecht. à Sode Diss. de Venat c. 5. §. 31. Berger de Venat. §. 23.

(z) L. 4. c. 42. apud Baluz. T. 1. Capitular. p. 785. Tit. de forestibus noviter institutis.

(a) Apud Eccard vom Königl. Salzburg &c. §. 23. p. 40.